




1/2005

IDIBVS APRILIIS

MMV



TOMVS 27

FASC. 152

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	30.-
In ceteris terris	EUR	25.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle (Stella) Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

BCG, Genève
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,
CO Z 3281.88.11

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	30.-
Ausland/Etranger	EUR	25.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS,

c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

BCG, Genève
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,
CO Z 3281.88.11

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Certe anno praeterito 2004 nullis libellis acceptis de fato RUMORIS VARII mirati cogitavistis et vos interrogavistis et adhuc quaeritis, quid factum sit, num defunctus sit et 'ierit per iter tenebricosum illuc, unde negant redire quemquam' (ut dicitis Catulli poetae utar).

Revera ita res se habet: Variis de causis gravibus prohibita est Stella Gitta, ne RUMOREM VARIUM edere posset.

Sed nondum omnium dierum sol occidit. RUMOR VARIUS non mortuus est. Et resurrexit – non tertia die, sed secundo anno. Et iterum venturus est, non iudicare vivos et mortuos, sed delectare vivos et fidos legentes!

Itaque decrevimus annum 2004 praetermittere. Propterea post libellum 5+6/2003 nuper editum protinus numerus 1/2005 sequetur, et annus 2004 RUMORI VARIO non existit. Vos, cari legentes suppliciter rogamus, ut fidem etiam RUMORI resurrecto servetis! Maximas gratias vobis agimus!



Nuper dies paschales acti sunt. Ad quos pertinentia ante paucos annos quaedam legi, quae mihi iucunda visa sunt. Accipite igitur de more prioribus temporibus interdum commisso, cui nomen 'risus paschalis':

Mane diei paschalis, A.D. 1518: Hoc die dominico (vel Solis) homines multo frequentiores aliis diebus dominicis in cathedralem Basiliensem ad missam celebrandam convenerunt. Animis hilaribus sunt et quasdam res miras et non usitatas exspectare videntur. Feminae et viri conferti in ecclesiae subselliis sedent, interdum risus summissus auditur.

Cum sacerdos liturgiam celebrandam incipit, subito de contignatione superiore¹ magnas voces gallinarum cacillantium² personant. Ibi in excel-


sis famulus sacerdotis stat et identidem 'cicerici, cicerici!' in basilicam sacram exclamat.

Homines ridere incipiunt, dum sacerdos fabulas indecentes narrat et gestibus non dubiis exornat. "Erant duo amantes", inquit, "qui peregrinationem sacram facientes in deversorio pernoctare voluerunt, sed lectus non iam supererat. Itaque communes in subsellio fornacis dormiverunt, quod pondere amborum corruit, et amantes medias inter gallinas deciderunt." Sacerdos casum imitatur, vox cacillans de contignatione superiore auditur, homines ridentes ventres suos manibus tenent.

Quae illo die paschali anni 1518 Basileae acta sunt, non insolita erant. Ex saeculo XIV usque ad saeculum XVI exiens talia in regionibus linguae Theodiscae consueta erant et 'risus paschalis' nominabantur. Quae acta sunt, ut gaudium paschale in homines transferretur. Officium enim praedicatoris erat curare, ut hominibus causam ridendi daretur. Ad quae efficienda omnes fere rationes probatae erant: sacerdotes voces animalium imitabantur, facetias narrabant, dictis ineptis gestus indecentes addebant. Saepe risus rebus impudentibus effectus est. Sacerdos ipse fabulas obscenas narravit, nonnumquam mentulam nudabat et actus sexuales imitabatur.

Qui mos longe lateque notus cuidam sacerdoti Basiliensi nomine Johanni Oecolampad displicebat, qui eodem anno 1518 epistula de omnibus eis nugis et dictis obscenis questus est. Sed non laudatus, immo vituperatus est, et theologus clarus nomine Wolfgang Capito ei exprobravit, quod audientes non ad risum moveret de Christo praedicans. Nam diebus paschalibus non decere praedicatorem nimis gravem se gerere. Praeterea risu paschali effici, ut homines in missam venirent et, dum liturgia celebratur, non dormirent.

Theologa Maria Caterina Jacobelli in libro, cui titulus 'De risu paschali – sexualitas et voluptas in loco sancti'³ huius moris testimonias affert, quas in Germania, Hispania, Sicilia, Florentiae, Basileae et in regione Danuvii invenit, in regionibus et catholicis et protestanticis.



Cathedralis Basiliensis

Putat risum paschalem rebus sexualibus coniunctum fuisse et credentibus gaudium afferre debuisse. Nam Christi resurrectionem rem laetam et causam gaudii esse.

Quae consuetudo usque ad saeculum XIX permanebat. Non omnibus in locis tam impudenter agitabatur; in Bavaria ad missas paschales enchiridion fabulas hilares continens edebatur, et nonnullis in regionibus risus paschalis ex officio cum liturgia paschali coniunctus fuit.



Hic mos mirus nobis videtur, quod tum in doctrina Christiana institutionaliter 'theologia lacrimarum' dicta praevalebat. "Quod homines rident, deflendum est" Augustinus exempli gratia dixisse fertur, et Johannes Chrysostomos: "Non ad ridendum coniuncti sumus, sed ad gemendum, et hoc gemitu caelum nobis acquiremus. Iesus ipse numquam risit." (Mirum, unde Johannes Chrysostomos haec scire velit...) Tum ecclesiam regentes cupiverunt subiectos fideles praeceptis oboedientes et culpa sibi conscientis. Qui se veritatem unicam possidere putant, timent festivitatem leporemque, qui res in dubium vocant et critice requirunt neque omnia, quae regentes dicunt, credunt. Homines ridentes a regentibus non facile imperio teneri et coerceri possunt, quia eorum dicta non timent neque eis omnino summis parent. His de causis in illo libro celeberrimo titulo 'Nomen rosae' ab Umberto Eco composito ille risus osor Georgius Burgensis (Jorge de Burgos) dixit: "Risus rusticis punctum temporis metum depellit. Sed lex metu adiuvatur, cuius nomen verum metus dei est."

Ut mos risus paschalis ostendit, fides populi nonnumquam hilarior et laetior quam theologia institutionalis fuisse videtur.

Optime haec ad religionem pertinentia argumento, quod libello 5+6/2005 vobis proponimus, apta sunt. Quod enim argumentum est:

De mundi religionibus.

Permultas causas et varias res scribendas vobis esse putamus de hoc argumento, quod hominum cogitationes omnium fere saeculorum occupabat, occupat occupabitque, cari legentes: De deis Graecorum, Romanorum, Germanorum, Celtorum, Indorum vel aliarum gentium; de

rerum natura omnia regente, de numine hominibus non intellegibili; de Christianismo, Islamismo, Iudaismo, Hinduismo, Buddhismo vel aliis religionibus - ut pauca solum exempla adhibeam - scribi potest. Nolite cunctari, cari legentes, de argumento tam vario quam plurimas symbolas nobis mittere! Maximas gratias vobis agimus!

Faveat vobis Fortuna in omnibus rebus, quascumque suscipitis.

- 1) contignatio superior, -nis -oris Empore
 2) cacillare gackern
 3) Maria Caterina Jacobelli, Ostergelächter – Sexualität und Lust im Raum des Heiligen, Regensburg 1992

Valete!

D. Weissmann
 Daniel Weissmann



Nationum Europae sententiae et proverbia

Simia quo altius ascendit, eo magis culum ostendit.



Germania

*



Serbia

Homo bonae valetudinis annos non computat.

*



Lettonia

Aegrotanti agni anima est.

*



Francogallia

Dubium est sapientiae initium

*

In bello omnes vincuntur, etiam victores.



Suetia

Felis et mus si consentiunt, agricola nihil efficit.



Dania

*



Hispania

Res una sola in bello bona est: Pax, quae istud sequitur.

*

Absentes semper boni sunt.



Bulgaria

*



Hibernia

Non est timor animae, antequam liberi habes.

*

Corvus sedens fame moritur.



Islandia

*



Italia

Incus diutius permanet quam malleus.

*

Spes pauperem superstitem conservat, timor divitem necat.



Finnia

*



Dania

Cibum qui dat, vitam dat.

*

Amantibus reconciliatio facilis.



Vallia

Latine tradidit Daniel Weissmann

CARMINA LIMERICKIANA

Est medicus quidam Diaulus,
cui datum cognomen est Saulus,
nam aegros necabat
nec bene curabat.
Quo tempore tandem fit Paulus?

Poëta, qui carmina fecit,
in rivum haec omnia iecit.
Cum vigil videret,
qui aquam deleret,
in vincula eum coniecit.

Est VARIVS RVMOR libellus,
quo gaudeat etiam asellus.
Sed eum egenus
opumque non plenus
non sacciger emit misellus.

Discipulos amet magister,
at ne sit eorum minister!
Nam si imperabunt,
quae volunt, tractabunt.
Hic ordo dicetur sinister.

Athleta birotula usus
certamine facto confusus
et interrogatus,
cur sit superatus:
"Sum inter limaces inclusus!"

"Mi theam afferte!" damnatus,
quid ultimum vellet, rogatus
respondit.



"Sed ne
mel adicite,
nam sum
diabete vexa-
tus."

"O tempora", dixit, "o mores!"
is Tullius olim dolores
et curas ostendens.
De caelo descendens
quos nos nunc haberet factores?




Martinus Meier

PROPOSITIO ALCVINI DOCTORIS CAROLI MAGNI IMPERATORIS AD ACVENDOS IVVENES

DE LIMACE

Limax fuit ab hierundine invitatus ad prandium infra leucam unam. In die autem non potuit plus quam unam unciam pedis ambulare. Dicit, qui velit, in quot diebus ad idem prandium ipse limax perambulat.

Leguntur...



Babel nova: Linguae Latinae Schola
Ecce libellus editus a Genovefa Immè
compositus, qui est primum volumen
(sequentia quattuor sequentur,
postquam edita erunt) collectionis, cui
titulus 'Linguae Latinae Schola'.
Id opus destinatum est tironibus, qui
linguam Latinam nondum didicerunt
et itaque paulatim vocabula et gram-
maticam edocebuntur imaginibus per-
multis adiuvantibus.

Haec est nova methodus, qua Latina
lingua - sicut modernae linguae -
modo vivo discitur; nullum in ea
vocabulum nisi Latinum: Hoc modo

liber, qui ab Genovefa Immè Francogalla et a Stefano Monda Italo edi-
tore (ITALIBRI) factus est, in omnibus terris adhiberi poterit, qualis-
cumque lingua patriae vernacula est.

In duobus primis voluminibus narratur vita familiae antiquae: sic non
solum vocabula et grammatica, sed etiam mores et historiae Romanae
ostenduntur.

In tribus ultimis voluminibus sunt textus tandem litterarii, quia discipulis,
postquam prima elementa et linguam Latinam in duobus anterioribus
didicerunt, iam sunt satis periti, ut litteraturam adeant.


DE IOHANNE FABAEQUE INGENTISSIMA FABULA

Roald Dahl
REVOLTING
RHYMES

Versiculi Horribiles
a Francisco Schlosser
Rhenano-Palatinensi
in sermonem Latinum conversi
imagunculisque lepidis exor-
nati


Iohannis mater: "Femina
sum", dixit, "aere diruta.
Fac bene vendas diviti,
mi fili, vaccam homini!
Sed cave dicas morbidam
et aegram esse bestiam!"

Vendidit vaccam Hansulus.
Rediit domum hilarus.
"Quid", dixit, "inest manui,
o mater, Hannis callidi?
Magno a me aegrotula
bos venditast femina."
Sed mater: "Certe modico
hanc vendidisti pretio!"



Iohannulus puer vaccam
minimo vendit.

Cum Hannes fabam huic mon-
stravit,
mater colorem, vae, mutavit
iramque in filiolum
effudit suum plumbeum.
"Bestiam faba unicanne,
dic, vendidisti?! Re verane?!"
Et "Caudex!" clamans fabulum
iecit in sterquilinium.
Tum miserum per horam totam
mulcavit parvulum idiotam
aspiratoris (1) subito –
qui hic est mos?! – manubrio.



Mater ira inflammata filio, ut supra
videmus, et manuballistula haud
raro terrorem inicit! Manuballistula
ferrum est, quod globos emittit,
quibus et homines et bestiae necari
possunt.

Circiter hora decima
iam germinavit fabula.

Quod germen mane crastino
iam altius monte arduo. (2)
Et Hannes: "Nonne stupida
hoc melius, mater; bestia?"
Sed mater "Ubi fabulae,
quas carpam", dixit, "abditae?
Est fabis nuda arbor illa!"
"Opinio fallit te, mamilla!",
clamavit Hannes, "folia
sunt insuper aurifera."

Quod recte dixit! Cum lucebat
sol oriens, mater videbat
sescenta vere folia
ex auro facta candida.
Tum illa: "Illico plebeium
currulum Mini (3) vendam
meum

et emam Rollsem Roisium (4). –
Fac aurum carpas! Agedum!"

Ascendit agilissimus
in magnam fabam Hansulus.
Cum cepit magnae arboris
cacumen puer agilis,
res insolens evenit, mira:
vox magna, gravis, atrox, dira
est edita. Quae vox tonavit
et verba illa pronuntiavit:

"MI SANGUIS OLET FA FO FI
HOMUNCULI BRITANNICI!"

Degressus Hannes summa de
immani faba propere.
Clamavit: "O matercula,

in illa faba magica
colossus est, qui naribus
sagacibus est praeditus!"



Hansulus materque gigantem in arbore
sedentem conspiciunt

Et mater: "Quid? Nasone aptus
sagaci? Tune mente captus?!"
"Sum minime! Homunculum
olfecit me Britannicum."
"Quod est haud mirum" vetula
clamavit. "Age, calida
laveris! Abluas fac te!
Quod dixi iam saepissime!
Tu autem imples hirci more
casam terribili odore!"
"Ascende ipsa fabam, quae
cacumen es munditiae!"
"Quod faciam. Sum agilis.
Senectus cruda viridis."

Ascendit tunica a suris
remota modice impuris.

Odoraretur, FA FO FI,
colossus matrem Hansuli?
Et quando Hannes putida
perciperet vocabula?

Hoc puncto temporis fragorem
audivit, dentium stridorem.
Tum gigas dixit: "Optime
ista sapivit, vera re,
etsi durorum ossium
habebat magnum numerum."



*De matre Hansuli actum
nunc est!*

"Mehercle!", Hansulus clamavit,
"Hoc monstrum matrem devoravit!
Quae ergo erat foetida,
ut opinabar, vetula."

Conspexit fabam Hansulus
auri pretiosi avidus.
Qui sussuravit: "Vera re

necesse est lavari me,
sin aliter me putidum
olfaciet prodigium."

In balneum se contulit,
ubi capillum abluit
sapone. Corpus et lavavit
et se emunxit. Tum purgavit
et dentes suos, ut est mos.
Tum fragrans exiit ut flos.
Ascendit fabam iterum.

Et virum imma-
nissimum,
atrocem secum
murmurare
audivit, illa mus-
sitare
verba perplexa:
"FI FA FO,
NUNC NEMINEM
OLFACIO!"

Cum obdormiret, genibus
per ramum repsit Hansulus.
Qui auro carpto fortunatus
nunc erat, optime nummatus.

Per occasionem salutare
est corpus calida lavare.

- (1) Aspirator: instrumentum domesticum, quo pulvis et cetera suguntur.
- (2) E minimis seminibus nascuntur ingentia. Ex fabula arbor facta est.
- (3) Currulus Mini(cooperensis): autocurrulus plebeius Britannicus plerumque ab adolescentibus litterarum studiosis argenti pauperibus gubernatus.
- (4) Rolls Roisius: autocurrus Lemovicensis sumptuosissimus in Britannia fabricatus.

Incepta eruditionis Latinae ludi superioris in oppido nomine 'Düdingen' anno 2003 acta II



De toga, tunica stolaque Romana suenda

Frédérique Jungo, Glen Sutter, Annika
Portmann
Heidi Vonlanthen
magistra adiutrice



Desideratorum et facultatum quaestione deliberationeque diligenter
facta tres vestifices decernunt haec vestimenta magistra Heidi
Vonlanthen adiutrice suendo conficere:

- togam secundum exemplum originale,
- stolam (velut in imagine),
- praeterea tunica vitiose confecta omnino restituatur



Post habitum secundo con-
fectum in margine clavus
purpureus affigitur, ut in
suendo machina suo loco
maneant.



Glen diligenter clavum in margine
togae suit.

An in Roma antiqua serva
nomine 'Bernina' vixerit,
adhuc ignotum est.



In marginibus clavus obsuitur, tum
vestis servis adiutricibus induitur.



Interea Annika ferro politorio
vitia tunicae corrigit, quam
grex prior nimis imperite con-
fecerat.



Postremo etiam contingit duas alias mulierum
vestes suere.

Versio Latina: Daniel Weissmann



Lucia dos Santos nuper vita defuncta

Anno aetatis suae decimo Lucia dos Santos, puella familia paupere Lusitana oriunda, die 13° mensis Maii anno 1917° primum mulierem ignotam in loco nomine "Cova de Iria" vidit, quam postea virginem beatissimam Mariam esse autumavit. Nonaginta fere annis post, die 13° mensis Februarii anno 2005°, soror pia nonaginta septem annos nata die Dominico primo temporis quadragesimae in monasterio Carmelitarum Conimbrigensi (Conimbriga vulgo Coimbra vocatur) vita defuncta est. Lucia soror trium liberorum pastorum superstes ultima erat Fatimensium, quibus Maria Deipara apparuit. Reliqui, i.e. Hyacintha et Franciscus Marto Luciae amici et consobrini iam satis mature defuncti, anno 2000° a Ioanne Paulo papa II° Fatimae canonizati, i.e. in beatorum numerum excepti sunt.

Epistula pastorali die 13° mensis Octobris anno 1930° divulgata Iosephus Alves Correia da Silva episcopus Fatimensis apparitiones Marianas Fatimenses veras esse atque nihil obstare, quin Christifideles ibidem publice Deum Mariamque venerarentur, declaravit. Sic Fatima cito locus peregrinationum celeberrimus factus est, quo toto orbe terrarum quotannis maxima fidelium turba concurreret.



Lucia Lusitana die 28° mensis Martii anno 1907° natu minima liberorum sex nata est in vico, qui lingua indigena Aljustrel nominatur. Anno 1921° Portum Calensem (vulgo: Porto) transmigravit scholamque adiit apud sorores pias in moansterio sanctae Dorotheae dedicato. Anno 1925° ipsa soror pia in eodem monasterio facta est. Vota prima anno 1928°, vota perpetua anno 1934° solvit accipiens nomen Maria das dolores, quod Maria dolorosa Latine significat.

Anno 1946° autem monasterio sanctae Dorotheae relicto se Carmelitis

adiunxit et nomen Mariam a Iesu atque Corde Immaculato elegit. Duos libris scripsit, quibus tituli *Memoriae* et *Quid nuntius Fatimensis significet*. His libris, quo modo et quo tempore Iesus infans et Maria virgo sibi compluries post apparitionem primam apparuerint, narrat.

Luciae corpus in monasterio Conimbrigensi sepultum est, sed postea Fatimam transferetur, ut iuxta Hyacintham Franciscumque sepeliatur, sicut Lucia ipsa optaverat. Lucianus Gerra episcopus Fatimensis occasione funeris data verbis laudationem funebrem habuit his: *"Dei voluntas adimpleta est, nam nobis per Mariam dixit Luciam quodam tempore in hoc mundo esse versaturam. Apparitionibus partes maximi momenti egit Lucia. Eadem enim gregem parvum vatum ducebat, eadem cum virgine beatissima loquebatur. Lucia soror testis et legata sanctae Mariae erat gravissima."*



Maxima peregrinatorum turba exequias participavit, ut valedicerent Luciae, quorum oculi sanctam Mariam viderant. Die enim 13° mensis Maii anno 1917° bello mundano primo saeviente Lucia, Hyacintha Franciscusque oves patrias pascentes iuxta quercum mulierem pulcherrimam splendidissimamque spectaverunt. Quae cum liberos vocavisset eis, ne timerent, dixisset, a Lucia interrogata, quid vellet, respondit se Mariam esse atque ab ipsis optare, ut unoquoque mense die 13° huc se conferrent. Instanter flagitavit, ut saepe orarent et se suo cordi immaculato confiderent.



Hyacintha Franciscusque Marto



Liberi primo ab adultis irrisi sunt, quod nemo eis credebat eos re vera Mariam vidisse. Imprimis ecclesiae praepositi Luciam sociosque vel mentitos esse vel mente aliquid finxisse putabant. Nihilominus die 13° mensis Iunii, die sancti Antonii Paduensis, Lusitaniae patroni, iam plures homines liberos comitati sunt, cum ad locum praedictum se conferrent.

Etsi nemo exceptis liberis quicquam audiebat neque videbat, multis iam persuasum erat Mariam apparuisse.

Interim regimen atheisticum socialisticumque iam apparitiones curabat, quas omnino suppressere et negare conabatur. Liberi immo capti et carceri illati sunt. Quibus dictum est eos oleo fervidissimo coctum iri, nisi confiterentur se esse mentitos. Attamen constanter apparitiones negare recusabant.

Die 13° mensis Octobris denique praesentibus quinquaginta fere milia hominum, inter quos multi increduli, id factum est, quod postea miraculum solare vocabatur. Nam sol ex improvise in immensum crevit atque in terram praecipitare videbatur. Insuper incredibili celeritateolvebatur.



Maria dum Luciae amicisque apparet, nonnullos nuntios nuntiavit. Ab hominibus fidelibus postulavit, ut cottidie rosarium orarent. Promisit pacem, si orarent, mox fore, sed praedixit bellum alterum maius orturum esse, nisi orarent. Praedixit etiam Russiam errores totum per mundum esse sparsuram (tunc temporis Leninus nondum rerum potitus erat neque quisquam scire poterat, qualia et quanta forent crimina a communistis commissa!). Visionibus liberi caelum, purgatorium inferumque spectaverunt.

Hyacintha et Franciscus, sicut Maria praedixerat, mox vita defuncti sunt. Lucia autem, ut signum esset toti orbi terrarum, usque in novum millennium superstes mansit.

De apparitionibus Marianis alius alia iudicat. Ecclesia ipsa tales apparitiones non veras esse affirmat nisi diu et optime probatas. Si, ut exemplum afferam, apparitione quadam dicuntur, quae verbis evangelii non congruunt, fide-



les monentur, ne credant nuntiis pseudoapparitione factis. Lucia nostra sociique eius semper semperque ab ecclesiae praepositis interrogabantur. Hodie autem nullum dubium est, quin sancta Maria eis vere apparuerit. Multa milia hominum quotannis Fatimam peregrinantur, ut salutem vel corporalem vel spiritualem accipiant. Sed multo maior est pars eorum, qui res divinas minime curantes peregrinatores Fatimenses superstitiosos irrideant. Num ridebunt et morti appropinquantes? Lucia vero pacifica et laeta et spei vitae aeternae plena obdormivit.

Martinus Meier

Proverbia Hispanica



Al amigo, con su vicio.

Amicum cum vitiis suis accipiendus est.

*

Debajo de la manta, tal es la negra como la blanca.
Sub tegumento, eadem est nigra ac alba.

*

El mejor amigo es la bolsa y el bolsillo.

Amicus optimus bursa et marsupium est.

*

Aprenda a bien callar, para que sepáis bien hablar.

Discite bene tacere, ut sciatis bene loqui.

*

El cebo es el que engaña, que no el pescador ni la caña.

Esca decipit, non piscator neque harundo.

*

Quien ruin es en su tierra, ruin es fuera de ella.

Homo sordidus in sua terra in extranea quoque sordidus est.



Escribalo en el agua!
Scribe in aqua!

*

El que engaña, engañado se halla.
Homo fraudulentus fraudatus invenitur.

*

Más quiero asno que me lleve que caballo que me derrueque.
Asinum, qui me portat, equo, qui me deicit, praefero.

*

Las penas con pan son más buenas.
Dolores pane meliores sunt.

*

Lo hallado no es hurtado.
Inventa non sunt furto subducta.

Los niños y los locos dicen las verdades.
Liberi et amentes vera dicunt.

*

Lo que no se comienza, nunca se acaba.
Ea, quae non incipiuntur, numquam conficiuntur.

*

Dad al diablo el amigo que deja la paja y lleva el trigo.
Ad diabolum mittite amicum, qui paleas relinquit et triticum aufert.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

De mirabilibus equis



Nonnulli equi per legendas illustrati sunt. Ex his alii omnino ficti sunt Pegasi admissarii albi penatiquae instar, qui, Chimaera a Bellerophonte occisa, solus ad Olympum volatum perrexit, ubi Iovi serviit. Fictus quoque est Unicornis, equus candidus, cuius frons cornu unico ornata est. Signum immortale sanctitatis, illud animal in fabulis mediaevalibus apparet. Potestate sua magica silvas tutabatur. Haud raro virgines, quae solae id recognoscere sciebant, visitabat. Nempe viri tot atrocitates committebant, ut obliti essent quid esset sanctitas, et unicornem confunderent cum equa candida; nam eis cornu insigne ex oculis disparuerat.



Alii autem equi fortasse vere vixerunt. Inter hos numerandus est admissarius niger, splendidus, pulchritudine ac vi egregius, vocatus Bucephalus (Graece: bovis caput) propter maculam albam, bovis forma, in fronte sua. Alexander, qui equum superbum et ferum magnopere admirabatur, putavit se illum superare posse. Princeps enim animadvertit omnes equites admissarium tergo ad solem adverso posuisse et animal umbra sua pertereri. Ergo equum solem spectantem ponit et in eum expedite salit.

Sunt etiam qui putent equos vates esse. Nonne apud Suetonium legimus: «Proximis diebus [ante Caesaris mortem] equorum greges, quos in traiciendo Rubiconi flumini consecravit ac vagos et sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere ubertimque flere» (IVL. 81, 4). De equo Bayard aut Gauvin, de equo sine capite vel de equo, cui tres pedes sunt, nihil dixerim; de equo Giraldi de Cabreriis autem haec pauca: erat in Catalonia miles nobilissimis ortus natalibus, militia strenuus, elegantia gratiosus, cui nomen Giraldus de Cabreriis. Hic equum habebat in bonitate singularem, velocitate invincibilem, et, quod sine exemplo mirandum fuit, in omnibus angustiis consiliosum. Huic nobilis indidit, ut bonus amicus vocaretur. Solo pane triticeo in concha vesce-

batur argentea, et culcitra de pluma pro sub-
sternio utebatur. Quoties arctissimo quoquam
negotio vir nobilis urgebatur, tanquam ad
cuiusvis discretissimum consilium, ad equum
confugiebat. Verumtamen quibus verbis
quibusve signis aut motibus ad intellectum responsa formabat,
hominibus praeter dominum suum erat incognitum. Sed hoc apud
omnes probatissimum fuit, etiam apud hostes capitales, quod nullius
praeter equum usus consilio, in omnibus prospere agebat, omnes elu-
dens et a nullo elusus; a nemine victus et a multis persequentibus
fugiebat, dum volebat, et inter crebros ictus fugabat, quos eligebat ad
pugnam. Erat miles in iuventute sua iucundus, hilaris, musicis instru-
mentis plurimum instructus, a dominabus invidiose desideratus. In pala-
tio imperiali, in praesentia piae memoriae Ildephonsi, Regis illustris quon-
dam Arragonensis et socrus imperatoris, (quae singulari laude praecelle-
bat) inter dominas sui confinii nec non in conspectu multorum Procerum
miles saepe dictus violam trahebat: dominae chorum ducebant, et ad
tactum chordarum equus incomparabilibus circumflexionibus saltabat.
Quid plura? Quid dicam nescio. Si verus equus fuit, unde in eo consili-
um, intelligentia, fidesque, quae in disertissimo admiranda. Si *fadus* (i. e.
equus incantatus) erat, ut homines asserunt, aut genus quoddam mix-
tum daemonibus, qualiter comedebat, et ad ultimum peremto suo
domino, ab armigero suo, pretio permaximo tum corrupto, (eo, quod
ipso equo phlebotomato alium equum ascenderat,) nunquam post hoc
cibum assumsit sed cervice ad parietem collisa
mirabiliter ac miserabiliter interiit.



Rettulit Stella Gitta

PROPOSITIO ALCVINI:
DE HOMINE ET EQUIS

Quidam homo vidit equos pascentes in campo. Optavit
dicens: Utinam essetis mei et essetis alii tantum et medietas medietatis,
certe gloriarer super equos C. Discernat qui vult quot equis imprimis vidit
ille homo pascentes.

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist):

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS ECLECTICA
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex

